



F. G. Welckero S. P. D. I. Geelius.

Monuisti me quondam, Welckere, vir celeberrime, quum ego has literarum dapes vestras ad veluti communes epulas coram laudarem, ne tot bonis ἀσύμβολος fruere: in quo si tantum mihi tribuissem, quantum voluntas tua a me requirebat, obtemperavissem tibi profecto, nec commissem, ut alienis uti viderer malle, quam domo aliquid afferre et ad communem voluptatem apponere. Itaque retinui, quod in manibus habebam, donec anni proximi superioris aestate ex itinere Bonnâ transibam cum Bakio meo, qui, quum affecta esset valetudine, properabat *ὀκρόνδε νέεσθαι*: quo factum est, ut nec te nec Nâkium nostrum salutandi causa invisere potuerimus, vos autem de adventu nostro moniti, qua estis benevolentia, cum Schopeno, dulcissimo socio, ita nobiscum in deversorio accubueritis, ut esset nostrum quoddam convivium in convivio. Erat, ut meministi, magna hospitem frequentia, strepitusque venientium et euntium, ac tantus in coenaculum concursus, ut nisi Nâkium sedes nobis occupavisset itaque collocasset, ut ad extremam mensam semicirculo sederemus, cibus fortasse nos replere potuissemus, omnis autem confabulationis suavitas defuisset. Ibi memini inter me et te (proxime enim tibi adsidebam) iniectum sermonem esse de Stesichoro, cuius fragmenta carminum quum Kleinius collegisset diligenterque esset interpretatus, huius tu libelli, anno 1829, eam censuram egisses in Iahnii *Annalibus*, quae iustum doctissimae Commentationis modum expleret. Ego narrabam me aliud agentem in locum quemdam poëseos Stesichoreae incidisse, qui ad celebratam *Palinodiam* pertineret, atque intelligere cupientem, Blomfieldii Kleiniique disputationes con-

suluisse, tuam censuram denuo legisse, nihilominus tamquam in tenebris caecutivisse. Quin tu (ita respondebas) retractas et si quid rectius habes, candidus impertis in *Museo* nostro reponendum? — Promisi haesitans, non quod audacia deerat, praesertim te hortante, sed quoniam illo tempore hanc tenebam sententiam, sive veram illam sive falsam, pleraque inventa tua posse refelli, verebarque ne comiter invitatum me tamquam equum Troianum *Museo* invecturus esses. Exceptit hunc sermonem nostrum alter de Veterum Literarum studio, quod tu, serio an ioco, ita debinc instituendum videri aiebas, ut plurium desiderio satisfaceret. Huius ego dicti sententiam haud satis adsequebar, sive tarditate quadam mea, sive quod ignorabam, quae esset Literarum omnisque humanitatis conditio in Germania, quaeque ingeniorum in utramque partem subita conversio. Nos certe Batavos natura plumbo graviores finxit, ut in extremorum spatio, quod vos saepe brevissimo curriculo traicitis, lenti haereamus. Quominus querelam explicares obstitit Nākii comitas, aegre ferentis scilicet, quod me solus tibi vindicares: hinc seria, nugae, ut fit, computatio rege Nākio, iucundissimo *συμποσίῳ*. Inviti vos reliquimus. Domum redux unum alterumque legi de recentioribus libris Germanice scriptis, quorum apud vos ingens quotannis multitudo erumpit, mihiq̄ visus sum intelligere quid esset illud plurium desiderium, cuius cogitatio te sollicitabat. Nimirum didici crescere in dies numerum eorum, qui Veterum Scriptorum interpretibus *aucupium syllabarum* et *vocabulorum adrosionem* ad nauseam usque obiiciunt, quasi his beatis esse suo modo non liceret, aut illis inviderent difficultatum concoctionem callumque et asperitatem stomachi. Longa querela est, Welckere praestantissime, multaue iam dicta sunt in utramque partem sine magno eventu. Mihi quid videatur, paucis verbis aperiam: quod sive recto iudicio sive errore dixero, dixisse iuvabit. Nimirum aucupandum et rodendum esse iis, qui utrumque rite facere sciant, quique

artificium hoc ignorantes spernant, hos facessere iubendos. Vos Germani, quotquot Antiquitatem vere interpretamini, pergite: nos Batavi pro nostris viribus iuvabimus. Ego autem nusquam magis sensi, quanta vis esset syllabarum et vocabulorum, quam in ipsa hac Poësi Stesichorea, in qua nihil videbunt, qui repudiata grammaticorum curiositate universa genera amplecti intuerique statim cupiunt, quaeque perspexerunt ad plurimum scilicet notitiam proferre. Veluti statim ab initio acquiescent in verbis Dionis Chrysostomi *de Regno* p. 25. b. *Στησιχόρου δὲ — ἐπεμνήσθη — ὅτι μιμητῆς Ὀμήρου γενέσθαι δοκεῖ, καὶ τὴν ἄλωσιν οὐκ ἀναξίως ἐποίησε τῆς Τροίας.* Quodsi forte inspexerint Synesium, qui *de Insomniis* p. 156. b. *οὔτε γὰρ, inquit, κενεμβατοῦντες τοὺς λόγους ἐξήνεγκαν, ὥσπερ τὸ νέον τοῦτο σοφὸν γένος, ἐπὶ συμπεπλασμέναις ταῖς ὑποθέσεσιν, οὔτε ἑτέροις κατεχαρίσαντο τὸ σφέτερον ἀγαθόν, ὥσπερ Ὀμηρος καὶ Στησίχορος,* haerebunt, trepidabuntque si Kleinium inspexerint, qui pag. 33. „Vix „autem, -ut equidem opinor, cum Synesio reprehendes Stesichorum, quod aliorum res in suum usum converterit: etenim Poëtarum quoque principem ipse Sophista participem „fecit huius vitii, nec adeo ullus facile Poëta in mythis „tradendis expers eius reperietur“, tum eundem fortasse pag. 83 legerint, ex prompto testimonio Athenaei, Stesichorum multa a Xantho mutuatum esse, sic scribentem: „Fortasse eius mentionem fecerat Stesichorus in carmine Lyricorum more [imo „Athenacus diserte tradidit p. 512. f.] — „Huiusmodi imitationem cum ipsius auctoris mentione illi culpae dare videntur subobscura Synesii verba.“ Quid igitur? aut ignorandum est, aut utendum aucupio et adrosione. Etenim Kleinium cum umbra digladiatur, qui perspicua Synesii verba prava interpretatione obscurat. Hic enim de Alcaeo et Archilocho agens, hos laudat quod ingenii vires ad proprias suas res commemorandas contulerant, *δεδαπανήκασι τὴν εὐστομίαν εἰς τὸν οἰκεῖον βίον,* neque ut Sophistae, aequales Synesii, in

fictis argumentis versabantur, neque Homeri instar ac Stesichori, propria ingenii bona *aliis gratificabantur*, id est, laudes aliorum celebrabant, de se ipsi non loquebantur, propriamve animi sententiam aperiebant. Eo pertinent verba Platonis Rep. III. pag. 394. c. *τῆς ποιήσεώς τε καὶ μυθολογίας ἥ μὲν διὰ μιμήσεως ὅλη ἐστὶν — τραγωδία τε καὶ κωμῳδία, ἥ δὲ δι' ἀπαγγελίας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ. εὐροὶς δ' ἂν αὐτὴν μάλιστα πον ἐν διθυράμβοις· ἥ δ' αὖ δι' ἀμφοτέρων ἔν τε τῇ τῶν ἔπων ποιήσει, πολλαχού δὲ καὶ ἄλλοθι.*

Sed quoniam hoc attigi, paucis verbis declarabo, quae tenebrae me excluserint ab illa, quam tu imperabas, retractione. Una, in qua ostendam, sufficiet particula, celebris *Palinodia* Stesichori, cuius quaestio quantis difficultatibus impediatur, tu optime omnium novisti, cuius ingeniosissima exstat coniectura de Carminis origine, deque vetustissimo cultu Helenae. Quod autem dixi, vereri me ne pleraque inventa tua in hac causa Stesichorea dubitationem haberent, id hinc repetas, quod in rebus Mythologicis antiquissimaque historia assensum plerumque cohibeam: quod ita a te accipi nolim, quasi istiusmodi indagationem omittendam esse existimem, ac sagacitatem vel tuam vel Müllerianam mirari nesciam. Habent sane vestrae commentationes hunc fructum, ut si id ipsum, quod quaeritis, interdum minus inveniatis, tamen per anfractuosi itineris ambages saepe incidatis in res incognitas, quas numquam in lucem proferre potuissent, qui a trita via non deflectunt. Igitur videamus de origine carminis, cuius traditio exstat, quam recordari te velim: (quamquam memoria tanta es, ut haud facile excidere quidquam patiatur) sed inspicie Cononem apud Photium, Bibl. p. 133 Bekk. Pausaniam III. 19. 11 sqq. et Hermiam ad Platonis *Phaedr.* p. 243. a. Quae Photius ex Conone desumpsit, haec fere sunt: nam a IV a inde *Narratione* omnia contraxit: de quo ipse lectorem monuit in fine IIIae. Conserunt pugnam

Locri cum Crotoniatis. Crotoniatarum dux Autoleon vulneratur ex occulto: qui quum graviter laboraret, oraculo suadente, Leucen insulam Ponticam petit. Ibi heroum animas precibus delinit, impetratque ut vulnus ab Aiace Locro curetur. Quo facto Helena, cuius anima inter heroas illos versabatur, Autoleonti imperavit, ut hortaretur Stesichorum ad *recantationem* componendam, si oculorum usum sibi restitui vellet. In reditu Autoleon Stesichoro narrat: qui statim hymnis in honorem Helenae factis caecitate liberatur. — Cum his paene convenit Pausanias, referens, quae *sciebat* narrare Crotoniatis et Himerenses, nisi quod paulo ornatus rem exponit, proque Autoleonte habet Leonymum, huiusque vulnus non femori, ut Conon, sed pectori inflictum ait. — Hermias denique eandem traditionem sequitur, Crotoniatarum quidem ducem Leonymum appellat, sed pro Aiace vulneris medicum Achillem memorat, et cognitum illud *ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται*, manifesto historiam Leonymi cum Telephi calamitate confundens. — Hanc traditionem obiter attigit Kleinium, tum reiecit, haud satis idonea de causa. Iacentem tu denuo sustulisti: ego a te acceptam abieci, nec mirarer si saepe reiecta et sublata tandem terendo absumeretur. Sed Kleinium immerito a te reprehendi puto, qui Hermiam quidem omittere non debuisset; tu vero isti Commentatori nimium confidere videris. Pausanias retulit, quae *sciebat* Crotoniatis et Himerenses narrare: *ὄν δὴ οἶδα*, inquit, *λέγοντας Κροτωνιάτας περὶ Ἑλένης λόγον, ὁμολογοῦντας δὲ σφίσι καὶ Ἱμεραίους*. Igitur non ipsos narrantes audiverat, nec magis, ut puto, Hermias: uterque petere potuit ab Conone. Quaeris unde Conon sciscitatus sit? Nescio, sed fictam videri narrationem contendo. Quid enim? Si eo pertinebat, ut Helenae sacra instituerentur (sic enim tu interpretaris), quidni potius Therapnae, aut alii loco Laconiae adhaesit, ubi divino honore filia Iovis colebatur? Et quo miraculo accidit, ut sacerdotes in insula remotissima statim seirent, quid Stesichorus in

Graecia vel in Sicilia de Helena mentitus esset? — Ipse Leonymus narravit, quo audito statim sacerdotes veriora scilicet hunc de Helenae fatis docuerunt, acceptaque per Leonymum secutus est Stesichorus in *Palinodia*. — Ingeniosa suspicio: quidni autem iidem contemti numinis vindices intellexerunt, inanem esse sollicitudinem, quoniam exstarent carmina HomERICA, Stesichoreis non paulo celebriora? Sensit hanc difficultatem, opinor, Hermias: quippe postremus trium, qui Leucensem fabulam tradiderunt, id est, octingentis annis post Stesichorum, finxit Helenam Leonymo in somno vel nescio quomodo dicentem: *καὶ γὰρ Ὀμηρον δι' αὐτὸ τοῦτο τετυφλώσθαι, ὡς κατηγοροῦσάντά με.*

Aliud est praeterea quod a te considerari pervelim. Ipse coniciis (p. 271) pugnam, in qua Leonymus vulneratus est, celebrem fuisse illam pugnatam prope Sagram, brevi ante Olympiadem LV, de qua re disputaverat Heynius in Opusculis T. II p. 55 et 148. Concedo illud proelium in traditione Crotoniensi significatum videri; verum Stesichorus mortuus est circa Olympiadem LVI, quamobrem non longe a vero aberrabimus, si Poëtam octogenarium senem fuisse ponimus, quo tempore recantare iuberetur. Hoc autem eiusmodi est ut fidem traditionis evertat. Etenim si *κατηγορία* comprehensa fuit *Ἰλίου πέρσιδι*, ad quam suspicionem verbis Platonis et Dionis Chrysostomi Orat. XI p. 162.a. facile ducamur, quum carmen illud vix nisi in actatis flore componi potuisse videatur, triginta vel quadraginta annos Stesichorum caecitate laboravisse apparet, priusquam huius causam et remedium disceret: quod vides quam contrarium sit Platonicis et Isocrateis, quae mox attingam: tum dubitaturum te confido, an decrepitis senex, tamdiu caecitati assuefactus, tanti fecerit oculorum sanationem, ut novis inauditisque figmentis malum redimere voluerit. — Potuit, inquis, in alio carmine Helenam laedere. — Non obloquor, modo concedas, *Calumniam* et *Recantationem* senilia fuisse opera. Ceterum quod conie-

cisti Isocratea ἀρχόμενος τῆς ᾠδῆς hanc vim habere, ut initium significant studii poetici, aut facile nunc opinionem istam depones, aut Rhetoris verba nihili ducenda existimabis. Verum ego de ipsa κακηγορία nihil adfirmaverim: obscura sunt omnia et in quamcunque te partem versaveris, obstant molestissimae difficultates: ac nollem Kleinium eo inclinasse, ut luculentos versus Stesichori, quos servavit Schol. ad Euripidis *Orestem* vs. 243 e *Troiae excidio* desumptos putaret, ac vituperii Helenae partem continere. Quum enim Orestiae Stesichori vindicari posse eosdem coniiceret, hoc tenendum erat: quippe vetus Commentator Orestae Euripideae *Orestiam* in manibus habuit: nec mirum, quoniam superstes erat, adhibuitque eandem ad vs. 46 et 268. — Quod si me interrogaveris, Welckere, quam originem fuisse censeam fabulae Crotoniatarum et Himerensium, ex ipsa *Recantatione* peti potuisse ornarique ostendam, sive *Palinodiae* titulo fuerit, sive nihil praeter *Helenam*, bis ab Athenaeo citatam. Idem suspicari videtur Hermannus in Praef. *Helenae* Euripideae p. IX.

Ne hoc quidem sine concertantium tumultu quaeritur, an Stesichorus in Palinodia vindictae Helenae suaeque caecitatis meminerit. Quid alii coniecerint te minime latet, sed mihi tecum res est plerosque tum doctrina vincente tum auctoritate. Igitur tu pertinaciter negas (p. 274 sq.); primum enim verba Platonis ἄτε μουσικὸς ὧν ἔγνων τὴν αἴτιαν non pati censes, ut de admonitione Helenae cogitetur: si hanc enim commemoravisset Poëta, non isto commento usurum fuisse Platonem, qui *Palinodiam* propriis oculis usurpavisset. Haec quidem accurate ratiocinaris; sed Himerenses et Crotoniatas (illuc enim saepe redis) eo, quo fecerunt, modo rem narraturos fuisse non arbitraris, si Stesichorus, Himerensium civis; carmine suo alteram illam traditionem de Leonymo, nuntio ex insula Leuce, mendacii convicisset. Speciosa sane sententia, quam, age, propius inspiciamus, hac conclusione

nitentem: Plato legit *Palinodiam* Stesichori: videntur autem Platonis verba significare Stesichorum in *Palinodia* non meminisse Leonymi, neque explicitae ab Helena causae caecitatis: igitur Stesichorus nullam omnino causam memoravit: igitur ne caecitatem quidem suam. Huic ego conclusioni tuae hanc meam opposuerim: Apparet Platonem ignorasse traditionem Himerensium et Crotoniatarum, quam referunt auctores quadringentis vel sexcentis annis Platone iuniores: hic autem nihil affert, quod cum illa traditione congruat: igitur verba Platonis, qui *Palinodiam* legisse videtur, per se interpretanda sunt: igitur ἄτε μουσικὸς ὦν κτλ. significant Stesichorum divinae artis Musicae peritum (vide Astium de his verbis) causam caecitatis suae intellexisse: igitur potuit in *Palinodia* referre causam caecitatis sibi cognitam esse: igitur commemorata hac causa, nimirum superiore calumnia Helenae huiusque vindicta, potuit addere se propterea recantare: igitur potuit Helenam aliosve Deos precibus invocare, idque revera fecit Poëta, si quidem bona fide cecinit Horatius Epod. XVII. 42.

Infamis Helenae Castor offensus vice
Fraterque magni Castoris, victi prece
Ademta vati reddidere lumina.

Tu, quaeso, utramque conclusionem expende: quod ubi feceris hoc mihi videris responsurus: non opus erat precibus: Himerenses et Crotoniatae tradiderunt recantavisse Stesichorum; sic enim imperavisse Helenam: hanc mali pollicitam depulsionem, si recantavisset. — Audio: num igitur Horatium recusas? quem haud aegre sane credam non legisse *Palinodiam*, Platonis autem *Phaedrum* eundem tamquam digitos suos novisse verisimillimum duco: illa certe οὐκ ἔστ' ἔτυμος ὁ λόγος iam tum proverbii loco usurpabantur. Sed vere confitebor, Horatium me male habere, quamquam non magno opere faciat ad meam conclusionem: fortasse finxit quae nulla vel lectione vel accepta traditione nitebantur. Vides, Wel-

ckere, quantis dubitationis fluctibus iacter, ut portum tenere nequeam.

Tandem aliquando experiamur an coniunctis testimoniis Platonis et Isocratis firmiter insistere possimus. Ille in *Phaedro* p. 243. a. Ἔστι δὲ τοῖς ἀμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν καθαρμὸς ἀρχαῖος, ὃν Ὀμηρὸς μὲν οὐκ ἤσθετο, Σησιχόρος δὲ τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς διὰ τὴν Ἑλένης κακηγορίαν οὐκ ἠγνόησεν, ὡσπερ Ὀμηρὸς, ἀλλ' ἄτε μουσικὸς ὢν ἔγνω τὴν αἰτίαν καὶ ποιεῖ εὐθύς· οὐκ ἔστ' ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος· οὐ γὰρ ἔβας ἐν νηυσὶν εὐσέλμοις οὐδ' ἴκεο Πέργαμα Τροίας, ποιήσας δὴ πᾶσαν τὴν καλουμένην παλινωδίαν παραχρῆμα ἀνέβλεπεν. Isocrates in *Helenaee Encomio*, §. 28. Ἐπεδείξατο δὲ καὶ Σησιχόρῳ (ἢ Ἑλένη) τὴν ἑαυτῆς δύναμιν ὅτι μὲν γὰρ, ἀρχόμενος τῆς ᾠδῆς ἐβλασφήμησέ τι περὶ αὐτῆς, ἀνέστη τῶν ὀφθαλμῶν ἀπεστερημένος, ἐπειδὴ δὲ γνοὺς τὴν αἰτίαν τῆς συμφορᾶς τὴν καλουμένην παλινωδίαν ἐποίησε, πάλιν αὐτὸν εἰς τὴν αὐτὴν φύσιν κατέστησε. — Describam tibi quae olim in chartam conieci: „Magna utriusque loci similitudo, praesertim in verbis στερηθεὶς et ἀπεστερημένος — ἔγνω τὴν αἰτίαν et γνοὺς τὴν αἰτίαν τῆς συμφορᾶς — ποιήσας δὴ πᾶσαν τὴν καλουμένην παλινωδίαν et τὴν καλουμένην παλινωδίαν ἐποίησε. Hanc similitudinem si quis fortuitam esse contenderit, mirabor, at meam tamen coniecturam non reticebo. Nemo, quod sciam, quaesivit uter prior scripserit Plato *Phaedrum* an Isocrates *Encomium Helenaee*. Hunc quidem admodum iuvenem laudationem istam elaboravisse, vel hinc efficias, quod initio non obscure cum Gorgia magistro contendat. Hic enim revera fecerat, quod reprehendit Isocrates, ut famosam mulierem defenderet magis quam laudaret. Tum ipsum argumentum iuvenilem exercitationem prodit, indignam illam studiis, in quae provector aetas Isocratis incubuit. Nam si quis obiecerit potuisse oratorem animi oblectandi gratia experiri, quid in ornanda Helenaee memoria valeret, vel servasse eum fictorum istud argumentorum studium ex institutione

Gorgiae ac severioribus studiis admiscuisse, huic suadebimus, ut *Encomium* attente legat, a quo si contentus recreatusque discesserit, per nos licet ingenio suo fruatur. Nihilo magis tamen intercedo, quo minus putetur Isocrateum *Helenaë Encomium* longe antecellere Gorgiano, quod circumfertur, quodque reprehendit quidem tecte Isocrates §. 7, neque tamen indignum arbitratur, quocum de palma certet, explicetque celebratum illud figurarum artificium ac lenocinia verborum, aptamque horum ad numerum conclusionem. Sed in iis, quae vitio laborant, ipse locus, qui me in hanc degressionem abduxit, absurdissimus est. Quid enim per totum *Encomium* Isocrates? Genus Helenae et pulchritudinem collaudat, quae quo magis extollat, excurrit in longam disputationem de meritis eorum, qui Helenam amaverunt. Tum pervulgatas sequitur traditiones, Paridis iudicium tangit ac belli Troiani celebritatem. Denique quanta potentia fuerit ostendit exemplo Stesichori, oculorum lumine orbatu propter calumniam. Quam calumniam? Scilicet eandem, quam callide reticet Isocrates; etenim ipse non minus reus fuisset, quam vetus poeta, si Helenae placuisset poenas expetere. Nimirum Platonis verba aliaque documenta manifesto declarant hanc fuisse Stesichori culpam, quod Helenae adulterium eiusque cum Paride ad Troianos profectionem reprehendisset.

Itaque quum praesertim Isocrates septem annis maior fuerit Platone, hic quo tempore *Phaedrum* conscribebat, Isocratis *Encomium Helenaë* neque ignorare, nec cognitum probare potuit: quamobrem vix dubito, quin verbis his: ἔστι δὲ τοῖς ἀμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν καθαροῦς ἀρχαῖος, simul in Isocratis ἀμαρτίαν animadvertat, ac de industria illud, in quo summa rei est, verbis Isocrateorum similibus eloquatur. Hoc qui mecum verisimile putant, conferant velim celebrem locum in eodem *Phaedro* de Isocrate iuvene, quem operae pretium est integrum in memoriam revocare. Pag. 279 a. b. contendit Socrates posse se de Isocrate vaticinari et

„maiore mihi (inquit) ingenio videtur esse, quam ut cum
 „Lysiae orationibus comparetur. Praeterea ad virtutem
 „maior indoles, ut minime mirum futurum sit, si, quum
 „aetate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc
 „studet, tantum, quantum pueris, reliquis praestet omnibus,
 „qui umquam orationes attigerunt, aut si contentus his non
 „fuerit, divino aliquo motu maiora concupiscat. Inest enim
 „natura philosophia in huius viri mente quaedam.“ Usus
 sum interpretatione Ciceronis, prodita in *Oratore* c. 13, qui
 Socratis hoc testimonium mirificum amplexus mox addit:
 „haec de adolescente Socrates auguratur. At ea de seniore
 „scribit Plato et scribit aequalis et exagitator omnium Rhe-
 „torum: hunc miratur unum. Me autem, qui Isocratem
 „non diligunt, una cum Socrate et cum Platone errare pa-
 „tiantur.“ Durior fortasse videar, si hoc Socraticae admi-
 rationis fulcrum Ciceroni ademero; dicam tamen, quod sen-
 tio. Mihi quidem philosophi verba ne plenam quidem lau-
 dationem sine gravi admixta reprehensione continere viden-
 tur. Utitur apud Platonem exceptione, quae non exiguam
 vim habet, *εἰ ἀντὶ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα*, id est *Helenaee*
Encomium aliaque eiusdem generis, in quibus tamen ipsis
 superiores antecellebat Isocrates, quaeque Socrati ac Platoni
 videri debebant, qualia revera erant, languida, frigida, pue-
 riliter ornata. Mihi casu minime sed consulto factum videtur,
 ut Plato in eodem Dialogo primum occulte Isocratem carpe-
 ret, dein apertius eundem laudaret ita, ut aliquid vituperationis
 subiiceret in eum, cuius nusquam praeterea in ceteris
 scriptis meminit. Itaque ne hoc quidem loco ab ironia tem-
 peravit, sed comi illa atque imprimis urbana. Haec persequi
 nequeo: videant porro, inter quos etiam nunc controversia
 est, qua aetate Plato *Phaedrum* conscripserit.“

Haec scripseram: nunc nescio sintne inducenda an argu-
 mentando corroboranda. Etenim vere dicam: nisi immobiles
 haerent paragraphi 28 et 29 in *Encomio Helenaee* *Ἐπεδεί-*

ξατο-ποιεῖσθαι τὰς ἀπαρχάς, radicitus evellerem; cui operi si manum admoverem, ostenderem reliquum scripti frigus istorum ineptiis longe superari. Illo certe tempore, si umquam, in omnium manibus erat *Palinodia*, poteratque intempestiva carminis mentio a quovis confutari. Interpolator minus curans desumpta ex Platone suo modo exornavit. Ipse expertus es, Welckere subtilissime, quam difficilem interpretationem habeant ἀρχόμενος τῆς ψῆδῆς et ἀπέστη τῶν ὀφθαλμῶν ἀπεστερημένος, in quibus si ἀπέστη corrigis, quodammodo sensui consulueris (mibi exempli loco est Dio Chrysost. p. 485. c. ἀπέστην τοῦ λόγου, quod genus dicendi e vetustioribus oratoribus petatum memini: tibi haud dubie succurret.) Praeterea suspecta est ratio verborum: πάλιν αὐτὸν εἰς τὴν αὐτὴν φύσιν κατέστησε: Homeridae denique, quorum auctoritas affertur, interpolatoris curiositatem sapiunt recentioraque tempora. Itaque ne ex hac quidem dubitatione emergo.

Quo magis autem intelligas, vir celeberrime, quamobrem desperem de *Palinodiae* cognitione, nego probari posse e permultis, qui carmen illud commemorarunt eove respexerunt post Platonem, quemquam propriis oculis inspexisse. Miraberis et tamen mecum facies. Nihil enim tribues Cicero, Dioni Chrysostomo, Maximo Tyrio, Athenaeo, aliis, qui e pervulgato Platonis *Phaedro* hauserunt: ne Philostrato quidem, qui in Apollonii vita VI p. 246. εἰ μὲν τις, inquit, καὶ ὑμᾶς ἔχει σοφία Ἱμεραίου ἀνδρός, ὃς ἄδων ἐς τὴν Ἑλένην ἐναντίον τῆ προτέρῃ λόγῳ (l. λόγῳ) παλινωδίαν αὐτὸν ἐκάλεσεν καὶ οὐκ ἔστιν (sic corr. pro καὶ ἔστιν, quod dedit Olearius, nec Philostratum intelligens, nec Platonis memor) ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος: hic enim ipsa illa παλινωδίαν αὐτὸν ἐκάλεσεν a Platone mutuatus est, ex cuius verbis τὴν καλουμένην παλινωδίαν ne apparet quidem, Stesichorum hoc titulo suum carmen insignivisse. — Tres autem sunt doctissimi ex Antiquitate viri, quorum testimonia proferam.

Primum tu, quem nihil in hoc genere fugit, Kleinianis

εοπίis addidisti (p. 270) Aristidis T. II p. 572 Dind. μέτειμα δ' ἐφ' ἕτερον προοίμιον κατὰ Στησίχορον· σκιαμαχεῖν μὲν οἶν οἶδ' ὅτι δεῖ· προς οὓς γὰρ εἰρήσεται τὰ λεγόμενα οὐχ ἤκουσιν. Quum nuda verba depromseris, sine disputationis comitatu, et σκιαμαχεῖν tantum aliis literis scripseris, nullus dubito, quin referre volucris ad εἶδωλον Helenae: a qua opinione tua vehementer discrepat mea. Graeci enim et Troiani pugnaverunt *de umbra*; at pugnaverunt tamen cecideruntque multa mortalium corpora; quale bellum nec Stesichorus neque Aristides σκιαμαχίαν appellavisse arbitror. Obiicias Eustathium, qui ad Iliad. II vs. 158 Stesichorum significans, ἕτεροι δὲ οὐ τὴν Ἑλένην αὐτήν, εἶδωλον δὲ αὐτῆς εἰς Τροίαν ἀχθῆναι φάμενοι, ὡς ἐν σκιαμαχίᾳ τὰ Τρωικὰ φαντάζονται. Cum venia tua dixerim, non curo Eustathium, in proprio verborum usu ne cum Aristide quidem comparandum. Sed miratus sum priora Rhetoris verba te non advertisse, μέτειμα δ' ἐφ' ἕτερον προοίμιον κατὰ Στησίχορον, quae Stesichorea sunt, secus laudata: quod si admiseris, ut facile nunc admittes, tamen non suspicaberis in *Palinodia* Poëtam his verbis usum, a pervagata traditione ad contraria transeuntem. Mihi certe numquam persuadebitur, tum quia verisimillimum est Carminis initium fuisse, quod Plato servavit, tum quia ineptissime iussisset Aristides Stesichorea illa usurpans post absolutum epistolae vel libelli exordium atque in rem praesentem veniens. Itaque in alio carmine Stesichorus illis vel similibus verbis usus est, quae a Lyrica poësi minime abhorrent.

Alterum est Eustathii ad Iliad. XI vs. 369. Οὐ γὰρ ἔχει Ὅμηρος μὴ φιλεῖν καὶ αὐτήν· οὐχ οὕτω τοῦ γένους οὐδὲ τοῦ κάλλους οὐδὲ τῶν λοιπῶν, ἀ τὴν Στησιχόρειον παλινηδίαν πεποίηκεν, ἀλλὰ καὶ ὅτι μεταμέλον ἐκεῖνη σωφρόνως πάσχει ἐφ' οἷς οὐκ εἶ πεποίηκε. Hic quidem locus eiusmodi est, ut si vel unum Stesichori verbum praeter Platonica e *Palinodia* Eustathius afferret in toto Commentario, id est, in uberrima Iliadis interpretatione, ubi saepissime comme-

morandum erat discrimen inter traditionem receptam, alteramque a Stesichoro divulgatam, duodecimo saeculo *Palinodiam* integram exstitisse crederem. Haereo, Welckere, nec tamen vereor ne tu haesitatione mea abutaris; potius concedes potuisse Eustathium ex aliquo deperdito vel adhuc latente Grammatico haurire, nisi potius suspiceris, coniecturam esse Patris eruditissimi, admodum plausibilem illam. *Genus* enim et *pulchritudo* Helenae decantata sunt ab omni antiquitate: itaque ego pariter affirmaverim, debuisse Stesichorum has dotes Helenae *Palinodiac* includere, ceteraque ornamenta praeter illud eximium apud Homerum, *τὴν μεταμέλειαν καὶ τὸ σωφρόνως πάσχειν ἐφ' οἷς οὐκ εἶ πεποίηκε*. Abundabat *Encomium* Isocrateum argumentis, unde Eustathius coniecturam faceret.

Habeo, quo te conficiam, (sic te dicentem audire mihi videor) integrum versum *Palinodiac*, a Tzetzia prolatum ad *Lycophronem* vs. 113, unde nos omnes credimus *Palinodiam* ad Tzetziana usque tempora durasse. Haec autem ille: *Ἀέγουσι γὰρ ὅτι διερχομένῳ Ἀλεξάνδρῳ δι' Αἰγύπτου Πρωτεύς Ἑλένην ἀφελόμενος εἶδωλον Ἑλένης αὐτῷ δέδωκε καὶ οὕτως ἔπλευσεν εἰς Τροίαν, ὡς φησι Σησίχορος· Τρῶες οἱ τότε ἦσαν Ἑλένας εἶδωλον ἔχοντες*. — Audivi nugacem Isaacum: nec moleste oppugnabo disputationes Meursii, Potteri, Mülleri, Blomfieldii, Kleinii, tuam (p. 269), nuperrimam denique magni Hermanni (loco sup. l.) Omnes pretiosum illud fragmentum, tanto naufragio ereptum, fovetis, atque digammate Aeolico, metricque ratione bene observata sic expolitum apponitis:

Τρῶες

Οἱ τότε ἦσαν Ἑλένης εἶδωλον ἔχοντες.

Nolim vobis illudere, a quibus scio quam longe antecellar et ingenio et doctrina; attamen certo scio te leniter subrisurum, si ostendero, vos nubem pro Iunone amplecti, Tzetzamque nihil nisi *εἶδωλον* versus servasse. Hic enim

legerat Aristidem, qui T. II p. 72 Dind. disputabat, essetne ars oratoria quasi vinculum quoddam partium politicae: ἢ τὰ τῆς πολιτικῆς ὡς σὺ φῆς μόρια ὑπὸ τῆς ῥητορικῆς συνέχεται; ἐμοὶ μὲν γὰρ ὡς ἀληθῶς οὐ ῥητορικὴν ἐν τούτοις κακίξειν φαίνεται οὐδὲ πολιτικῆς μορίου εἰδῶλον δεικνύναι, ἀλλ' οὕτως ὥσπερ εἰδῶλον ῥητορικῆς ἀπειληφῶς ἐπὶ τούτῳ σπουδάζειν, αὐτῆς δ' οὐδ' ἄπτεσθαι, ὥσπερ οἱ Σιτησιχόρου Τρωῆες, οἱ τὸ τῆς Ἑλένης εἰδῶλον ἔχοντες. — Videse Commentum Tzetzianum, Stesichoream σκιὰν αἰσσοῦσαν in postremis Aristidis verbis? Graeculus Codicis sui Aristidei corruptela, vel potius compendii siglo deceptus ex οἱ τὸ τῆς fecit οἱ τότε ἦσαν vel ἴσαν. Hic nunc quodammodo excusari potest; quod diversas εἰδῶλον Helenae traditiones aequè miscuit ac Scholiasta Aristidis Panath. I p. 212 Dind. quam confusionem tu optime animadvertisti; excusari nequaquam potuisset, si *Palinodiae* exemplar manibus versavisset. Aristidi obversata sunt Platonica Reip. Lib. IX p. 586. c.

Quam tu multa demoliris, inquis, nec quicquam indubitati mecum. Confiteor, Welckere. Volebam autem mihi ipse persuadere (tu enim firmiter credis) in hac nostra disciplina et studiorum agitatione ne maximas quidem res tractari posse sine vocabulorum adrosione et aucupio syllabarum. Quodsi nonnulla disputando convelli aut labefeci, unum intactum est, *δογματικόν τι*, his ipsis literis confirmatum, amor meus erga te et Nākium, a quibus me amari scio. Vale.

Dabam Lugd. Bat.

die 10 Aprilis. 1838.